

Appendix. — Europa Nro. 68.

Regnum Mortuorum.

Sermo Politicus.

Super Eloquentia unius Mauri.

Elysium — Meum 9. Augusti 1808.

Textus.

Inventio eloquentiae nulli aetati aut populo specialiter adtribui potest; est illa productum naturae, cuius solo domesticum, semper tamen aliquid ex natura climatis, aeris temperie, et nationalitate adtrahit."

Sulzer.

Sub finem saeculi 13. occupaverat Rex Sancho (Sanctius) Regna Castiliae, et Legionis (Leon) in Hispania. Eodem tempore habebant Christiani cum Mauris, qui Mauritiam occupaverant, cruentum bellum, quibus Rex Sancho praefuerat. Post longam sanguinis profusionem invasit tandem Mauros desiderium pacis, et votis communibus legatum pro pace petenda ad regem Christianorum mittere decreverunt, delegeruntque virum, ab eloquentia et anplascientia celebrem. Franciscus Bellez in opere suo de *originibus Murciae*: Ablegatus hic magna cum pompa ad regem Sancho accessit, et postquam tribus integris horis perorasset, et semper id dixisset, quod dicere noluit, tandem Rex eum monuit, ut missionis suae causam paucis diceret; longam suam declamationem quatuor vocibus conclusit, quae causam, ob quam venit, continent; scilicet: *Petimus Rex invictissime pacem.*

Haec oratio reflectit me ad Oratores Ministeriales in Anglia, qui semper multum loquuntur, et nihil agunt. Ita peroravit D. *Whitbread*, dum 4. Julii Parliamentum prorogatum erat: — Cum Sessiones Parlamenti ad finem vergant, antequam dissolvatur, volui Ministris quasdam proponere quaestiones, ab eisque responsum habere, quae relationes nostras domesticos, et externas concernunt. Verum quidem est, sub moderno Parlamento res pertractatas fuisse, quales vix alias unquam, sed post Sessiones 8 mensium juvat quaerere, an famosi illi *Cabineti Ordines* illos effectus prodixerint, quos Ministri sibi promiserunt? An hostis per hos ordines ad se humiliandum adactus?

an spes pacis major? An hi ordines revera in effectum abierunt, aut saltem fantoma ad hostem terrendum fuerunt? Adhaesio commercii in pluribus regni partibus tumultus excitavit; miseris his indolendum, succurrendumque est, quantum possibile: severitas enim auget potius, quam minueret calamitatem. — Quod relationes nostras externas, notanter Sveciam et Americam concernit, cuperem scire; quantum nempe politica haec notitiam admittit, in quonam statu cum Americanis simus? In Ephemeridibus lego, Congressum Americanum prorogatum esse, at sequestrationem navium perdurare; famosi igitur nostri Ordines Cabineti hic illum, quem promiserunt, non produxerunt effectum: sed mihi videtur: America, sicut Anglia cedere nolle. — Et quid in Svecia? Classis nostra ad Gothenburgum tanto tempore haesit otiosa; quae causa? Hanc expeditionem duxit Gen. *Moore*, qui oneri responsionis omnino subest. Antea praefuit is exercitui in Sicilia, et casualis eius praesentia Londini, quae ipsi imperium huius expeditionis procuravit, seria digna est investigatione, *Casualis praesentia*, dico, quia, si fides rumoribus tribuenda, ejus adventus ex Sicilia Ministris non minus, quam publico inexpectatus erat. Expeditio nostra ad Gothenburgum optimam anni tempestatem otiano pessumperdidit. Dura Tractatus subsidionalis Parlamento propositus erat, quis supponere potuisset, quod necessarium operationis planum mutuis consiliis in antecessum deficiit non sit: Et Ecce! Generalis *Moore* cum copiis appulit in Sveciam, et Generalis Quarteriorum Magister, ens essentialissimum in exercitu (*Murray*) rediit Londinum, interrogaturus, quid in Svecia agendum sit? atque cum huius iterum ad Gothenburgum reditu, Generalis *Moore* profectus est Holmiam, planum operationis cum aula svedica elaboraturus! An non haec risu digna! quae si oculis non videremus, ipsi non crederemus. Dixerat nuper D. Minister *Canning*, Regem Sveciae planum nostrum commerciale secundaturum, et nostros Cabineti ordines promoturum. Anne factum est? Jam 29. Februarii declaraveram ego, oportere, quamvis favorabilem pacis arripere occasionem, nec futurum Angliae dedecori, si prima olivam offerat.

Ad haec Minister *Canning*, more solito, meris generalibus respondit: Subsidia haec missa fuisse Regi Sveciae, ut rem communem cum ipso juxta planum ipsius faciamus, jam vero certum est, medio, quo expeditio haec advenit, tempore magnas in operationibus Regis evenisse mutationes, quae totam rei faciem alterarunt; unicum, quod forte Angliae imputari posset, esset illud, quod expeditio haec summa cum celeritate expedita fuerit,

et ad
missa
nobis
illo te
non au
Sicilia
Gibralt
concer
est ex
casum
num n
quam
obtulit
fat, n
haec a
test; i
conjur
runt,
ctum

F
nae m
latuit
bialis
multu
direct
Bert
cursu
comp
de m
rum r
tionis

haud
erat

tus
mod
tant
rum

et ad locum destinationis advenit; quod illi, quibus missa est, debitum ejus usum capere non sciverint, hoc nobis imputari nequit. — Quod Generalis *Moore* recte illo tempore ex Sicilia redierit, id factum est consilio, non autem errore, cum notum sit, copias, quae eidem in Sicilia suberant, sorte Portugalliae tunc adhuc non decisa, Gibraltariam missas fuisse. — Quod denique Americam concernit, quidquid cum hac Republica actum, notum est ex scriptis, quae eadem typo vulgari curavit. Propter casum cum *Chesapeak*, quod factum Gubernium anglicanum nunquam probavit, omnem obtulimus satisfactionem, quam America repudiavit, et condiciones, sub quibus eam obtulimus, ut nempe naves nostras in portus suos admittat, non acceptavit; Specialis missio *D. Rose*, licet nec haec acceptata fuerit, injuriam reparasse merito dici potest; Abruptio tractatum ex nulla parte cum hosti itate conjuncta est. — Ordines Cabineti effectum non produxerunt, quia illi in America adhuc noti non erant, dum edictum exclusionis publicatum erat!

Pretium gossipii macedonici et notoliani 30. Julii Vienne multum decedit, quia magna quantitas in depositariis latuit, et adhuc major in itinere fuerat. Etiam cursus cambialis per providas gubernii dispositiones eadem 30. Julii multum decedit. — Imperator Consiliario mercantili, et Pro-directori Privilegiatae Societatis Bancalis *D. Francisco Bertoni*, propter elaboratum per eum certum thema de cursu commerciali, via Dicasterii Politiae aulici altissimam complacentiam declarari jussit, quod argumento est, ubi de melioratione rei financialis agitur, consilia etiam viro- rum rei peritorum, audiri, ex quo tanto certior ameliorationis spes affulget.

Socrates — Aristoteles.

Ambo erant magni Philosophi, sed philosophia eorum haud aequalem produxit effectum. Philosophia posterioris erat res magis capitis, prioris autem res magis cordis.

Diarium Politicum.

Solatium est in publicis pagellis legere, quomodo status Rhenanae confederationis se ad bellum parent, et quomodo copias suas augeant, et modo huc, modo illuc mittant; quid vero, si nihil, aut parum in re esset? — Tunc rumores hi iterum avolabunt, et Politica accipit aliam viam

Res politicae Septemtrionales singularem plane in politico dramate constituunt figuram. Sveci sibi soli relictis sunt; classis anglica sine certo scopo oberrat. Unus alterum interrogat, cur Angli contra Russiam hactenus nihil egerint? et post longas hinc inde interrogationes manet interrogatio sine responso.

In tanta rerum incertitudine — potius aliquid pro Mercatoribus. — Ex Gallia: — Tribunal cassationis tulit nuper sententiam, quae pro commercio admodum favorabilis esse potest; nempe: Quod is, qui sub fictitio nomine campsoriales extradat, se reum criminis falsi efficiat, et inusto ei stigmate, ad triremes damnetur. Sententia ipsa est: — Is, qui nomine fictitio campsoriales extradat, quas ipse accipiat, aut scripturam suam pro tali cambio mutat, nocet illis, qui in circulatione talium Campsorialium easdem indorant, aut proprietarii earum evadere possunt. Fictio extradatoris campsorialium est verum falsum, et fallit alios. Etsi etiam hocce falsum apud eos excusari posset, qui per turpem abusum, in aliquibus locis commercialibus Civitate donatum, se bona fide seduci permiserunt, falsarii tamen tales eosque persecutioni legis subesse debent, donec se bona fide egisse, probaverint. Erat casus etiam Parisiis, ubi quidam *Assier* sibi formales pro Campsorialibus procudi curavit, ac si eadem Viennae emanassent, quibus, ut ipse confessus est, nomina aliorum mercatorum inscribere voluit, ut hac ratione iis valorem adderet. Tribunal cassationis hoc tentamen pro *Falso* declaravit, quod eidem poenae subest.

Regiomontanae habent litterae: horisontem politicum Borussiae necdum serenari, et tractatus, qui Berolini per Ministrum *Stein*, Parisiis autem per Principem Vilhelmum fovebantur, optatum haud habuisse effectum, ideo calamitas, et pressura adjunctorum in dies fit gravior, praesertim cum omnis propemodum merendi occasio desit. Berolinenses autem litterae ferunt, cursum publicarum Obligatoriorum repente elevatum esse, quod semper favorabilis cuiusdam eventus augurium est, quodve multi circumstantiae illi tribuunt, quod Administratio Gallica pro celebranda Regis die nativitatis facultatem concesserit, quod item aliquae cohortes ex illa vicinia discesserint, quae omnia spem augent sereniorum dierum.

Congressus Americanus dissolutus est, sed mense Novembri iterum conveniet. In Hollandia, hac scilicet olim industriae patria, multa pecunia haeret otiosa in cassis sine fructu, quae ab octo mensibus pro venditis mercibus cum domesticis, tum colonialibus intravit, cum omne propemodum jaceat commercium, nec occasio sit, pecuniam hanc pro mercibus permutandi.

Qui p
Le V
Sut p
Et fu

atrali
sariis
ipsis
prime
dit pe
omne
habere
gular

propt
poter
et qu
cutus
ginem
menta
garth
Inten
et co
vocer
quo t
expa
tuum
gna,
seder
ding
penic